



**E**Rnestus filius fuit Heinrici ducis Lunenburgē  
fis & Brunsvicensis, quem ei Ernesti Electoris  
Saxoniae filia peperit, in urbe Olfensi. Hunc paren-  
tes ob egregiam indolem ad Fridericum Saxoniae  
ducem eius auunculum miserunt, ut in bonis lite-  
ris et omnis generis uirtutibus optimè educaretur.  
Is Vuitenbergæ Ernestum Georgio Spalatino in-  
stituendum tradidit, ubi breui adeò profecit, ut e-  
tiam Heinricum Goëdten Iuris professorem cum  
fructu audire potuerit. Postea Lutetiam profectus  
bonas artes didicit, & Gallicæ linguæ operam de-  
dit. Hoc modo factum, ut sua eruditione & singula-  
ri prudentia sibi magnum nomen compararit. Inte-  
rea cum pater ex hac uita decederet, ad suæ ditionis gubernationem accersit-  
tur. Itaq; amicorum consilio usus, in primis bellorū reliquias cum uicinis prin-  
cipibus cōposuit, atq; suos subditos ad meliorem disciplinam redegit. Deinde  
cum uideret multas superstitiones paulatim in Ecclesiam irrepisse, eas om-  
nino sustulit, atq; Euangelij doctrinam omnium ordinum suæ ditionis con-  
sensu publicè recepit. tum uerò hinc inde scholas erexit, ac ut iuuentus opti-  
mè educaretur, diligenter curauit. Viros etiam doctos Ecclesijs & scholis pre-  
fecit, eosq; admonuit, ut & uerbo & exemplo suas oues fideliter pascerēt. Ut  
autem illi commodius ea quæ uellent perficerent, lege sanciuuit, ut ministrorū  
Ecclesiæ petitiones nullius loci præfectis, uerùm principi ipsi statim propo-  
nerentur, quò res ad Ecclesiæ dignitatem pertinentes citius expedirentur.